D. ... t Martyr
... Adami Cantii Bellona vel...
... ureis redimita.

BELLONA
Cælestibûs laureîs
REDIMITA,
DIVA
CATHARINA
VIRGO & MARTYR

Ad annuam suæ Solennitatis diem
In BASILICA Casimiriensi ad Cracoviã
ORDINIS Sancti AUGUSTINI
P.P. EREMITARUM

Oratoriô Stylô

In frequenti Dignissimi Auditoris Præsentia,
A
M. ADAMO CANTIO
CHOROSZEWIC,
In Alma Universitate Crac: Philosophiæ Doctore & Professore,

PROCLAMATA.

Annô Domini MDCCXXVI.
Die 25. Novembris.

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.

Longum probitas perdurat in ævum
Ovidius,

Famam extendere factîs
Hoc virtutis opus *Virg: lib: 10. Æneid:*

Marmora Mæonij vincunt monumenta
libelli.
Ovidius.

Vita perit, mortis gloria non moritur
Ausonius.

Nulla militiæ Dei ætas inepta,
In qua annorum numerô
Non prosternitur virtus sed confirmatur
Neothericus.

Cedat in eximiũ tanti Pastoris honorem
Lud: Big:

PERILLVSTRI & ADMODVM REVEREN-DO DOMINO, D. ADALBERTO WASNIOWSKI,

In Alma Universitate Crac: Artium Liberalium Magistro & Philosophiæ DOCTORI, Ecclesiarum Collegiatæ Tarnoviensis, CANONICO, Parochialis Jodioviensis CURATO,

Domino & Mecænati Amplissimo.

Diviniorem Sacræ militiæ Præsidem, triumphalibûs redimitam laureis CA-THARINAM, *non tàm cultô sublimioris elegantiæ adumbratam Stylô, quàm profundô humilis dictionis adoratam cultu, Tuum Nomen in certamen evocavit* PERILLVSRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE, DOMINE MECÆNAS ÆSTIMATISSIME. *In Tuæ equidem latepatenti gloriæ Campo, ut sanctior sistat Bellona est necesse, quam*

vocale Tuarum virtutum & meritorum classicum provocare videtur. Pridem enim Tibi proprium est piîs operibûs, cum ipsis certare Dijs. Sacram in Cælum Gigantomachiam moves, virtutibus accumulas virtutes, rectefactorum gradibus substituis gradus, quibûs in siderea ascendas Palatia. In tenera ætate nihil non maturum egisti, nihil non Cælô dignum. Felix illud Poli clima, sub quo talis & tantus Tuorum Natalium es sortitus Lucinam, qui omnia luce peragis digna. Vbi alij domesticos incolunt lares, nimiùm suæ indulgentes ætati, tu indolem Tuam bonarum artium capacem in publicum Cracij Athænei solum produxisti. Optimè virtutibûs imbutus, facilè & studijs liberalibûs poteras imbui & instrui. Roborasti egregias Tuas dotes Grammaticis casibûs, per qvos de virtute in virtutem procedebas. Curasti solertissimâ vigilantiâ studiorum profectum, sed simul & virtutis; bene in hoc eruditus, quòd optimus ibi profectus, ubi non est in superos pietatis defectus. Canebas ad dulcisonam docti lyram Apollinis Carmina, sed ita, ut & virtus vocalissimâ haberet echonem, à colli bus Parnassi repercussâ. Olympia Tuæ gloriæ erat Tullianus Campus, quem ita decurrebas, ut nunquam in deviùm ires. Tantum Te scholæ nactæ erant Alumnum, ut scientiæ in mente Tua natæ esse crederentur, quarum quælibet certabat, quæ primò mentis Tuæ capacitate potiretur. Omnes tamen vicere, quia omnes in Tuum animum influxere. Spinæ Logicales in rosea sunt conversæ centifolia, ut se Tuo Nomini conformarent. Pons Dialecticus Appia Tibi erat ad Capitolium sapientiæ, quod Tibi priùs reseratum erat, antequàm intendebas. Peritissimus Mandro jam tunc difficultatum præternavigasti profundum, cum alij in sicco hærerent. Philosophicum emensus Euripum, postquàm in portu omnis perfectionis stetisti, Iagellonica Pallas Te suâ laureâ coronavit, sed Corona hæc quam receperas, non erat Tuæ virtutis Coronis, non præmium sed illicium præmij,

& hono-

& honoris ulterioris fœdus. Circulo laureali laborem pro centro aſſignaſti, à quo unaquæq; actus Tui & actionis glorioſæ ducta linea in honoris metam collimabat. Quidquid agebas, ſupra cæteros Tibi pares erat, cum quibus licet in eodem honoris Academici conſiſtebas gradu, omnes tamen virtute & eruditione excellebas. Difficile erat aliis quod Tibi luculentum, & quod Tu ponderis expers eſſe dicebas, hoc aliorum humeri ferre recuſabant. Vidit Gracia Minerva Tuos glorioſos actus, & coronamentum auguſtius nexuit, obtulitq; ſecundam lauream, quæ Tibi debebatur, qui ſemper digna laureis immortalibus geris. Et cùm aliorum merita ſæpe excedat Corona, Tua rectefacta, ut debitè coronarentur, ſecundâ daphnide debuerant redimiri. Porrexiſti digitum annulo, quem ſibi prius ſapientia deſponſavit. Liberalium artium inſigne recepiſti librum, cui totam indolem Tuam mancipaſti. Præcinctum Caput Tuum laureâ, & Doctorali adornatum biretô; Te in omni quadratum virum demonſtravit. In ſtatione Academica nunquam ſtationarium egiſti, Te unus alteri eripiebat labori. Ornaſti ſpartam quam nactus fueras, ſed illa Te minus fuit ornamentum. Vnus Academicus Tuis meritis & virtutibus non ſuffecit Orbis, unde felici paſſu, ex ſtoa ad ſtallum, ex Academico ad Canonicum Senatum, ex Peripatho ad Templum, ex Cathedra Scholaſtica ad Exedram ſacram & ad Divorum Aras dicatus DEO Myſta, meritiſſimus Canonicus Tarnovienſis tranſiiſti. Inſigne Capitulum laureatô Capite exornaſti, nec deſinis ornare. Alios licet non curaſti honores, curam tamen animarum ut haberes, Eccleſiæ Iodłovienſi Parochiali elegiſti præeſſe & prodeſſe. Ornas ſponſam Chriſti Eccleſiam ſupellectili pratioſâ, ditas egenorum inopiam liberalitate profuſâ. Pietate in ſuperos adeò clareſcis, ut Aris ipſis ſplendorem ſuperaddere videaris. Deprædicant Tua opera pia Xenodochia & multi parietes divulgant. Tuum ſanè Nomen ubicunq; reſonat, vocale eſt,

& pretiosum. Ipsa campana qvoties ore suô sonanti populum ad Divina convocant, toties & Te Vigilantissimum loqvuntur Pastorem, quem & ego meum Mecænatem tacere non possum. A cunis me Tibi sangvinis nexus obligavit, beneficia indiès adstringunt. Nilus septem Ostijs non ita suam locupletat Ægyptum, quàm me Tua circumfluit munificentia. Quarè ut fontem quem haurio coronare possim Cælestibûs redimitam laureis Bellonam tibi censui dedicandam; ut indè conijcias me velle continuâ erga Te Mecænatem gratitudine certare. Longiori Stylô in hanc exiguam pagellam Tua non deduco merita, quibus immortales debentur fasti. Involvi silentiô Tuas eximias virtutes aurô cedrôq́; digna reticui facta, sed non tacente pectore clientalia enuntio vota: ut Patrocinante Tibi sanctiorî Bellonâ CATHARINA, de omnibus triumphes adversis, solos prosperrimos successus, honoresq́; amplissimos meritis Tuis & virtutibus Nestoreos per Annos habeas subjugatos, meq́; Tuo Nomini agnoscas militantem, qui sum.

PERILLUSTRIS & ADMODUM REVERENDÆ DOMINATIONIS VESTRÆ.

Cliens devinctissimus & humillimus servus.
Author Operis.

ORATIO.

SEcurum emeritæ virtuti ut præbeatur tutamen, ſcutum Perſei, ac ſeptemplicem Ajacis clypeum quærite; ego vobis Oratorjîs famulabor gradationibûs. AA. Ad primam enim vivendi incipientium mortalium lucem, feralem virtus patitur luem, & triſtiſſimum occaſum. Eâdem ſimultaneâ vice, quâ edunt Parentes progeniem, pariunt vitia. Vix nati infantes, jam vitjîs adulti, nondùm bene repere nôrunt, jam vitioſos circulos decurrunt. Ipſæ cunæ ſunt virtutibus fatales urnæ. Imminuit virtutem damnoſa filiorum ætas, Paren-

tum nequitie vitioſior gignitur proge-
nies, quæ cùm virtutibus non poſſit, vi-
tjîs inclareſcere prætendit. Heroſtratũ
infelicî imitatione æmulatur, bonarum
incapax actionũ perpetrat iniquas. To-
tus fermè incolarum Orbis peſtiferum
vitiorum Regnum eſt, virtutis Provin-
cia nulla; vel ſi datur Imperium cui ho-
neſta virtus dominatur, ſine pace eſt, cum
vitijs pugnare ſolet. Multi illuſtres ſui
generis Ceras in fomitem ſcelerum con-
vertunt, quorum cerei in vitia animi,
has titulorum faces quibûs nomen ſuũ
clareſcere putant, magìs extingvunt
quàm accendunt. Novi Enceladi, novi
terræ monſtra Gigantes, faſtu inanî tu-
ment, montibus vitiorũ imponunt mon-
tes, ſine mente dicendi, quòd pugnent
contra virtutis Olympum. Digni abyſ-
ſalî baratri fundô, ſcelerum cumulum
conſcendere conãtur, ut nobilem Cælũ
verſùs ſeſe erigentem probitatis depri-
mant palmam. Forſitan Orbis Incolæ
ſolâ ſatiati Lethe, memoriam virtutis
amittunt, cujus adjumentô cuncta ho-
minum opera, ab oblivione vindican-
tur. Optimus ſanè etiam ſine Magiſtro
in

in vitia profectus. Tendimus in vetitum etiam ſine ſtimulantibus æmulis, cupimuſq; negata, etiam ſine incitantibus motivis. Rarus Vlyſſes, quem illecebrarū non decipiant Sirenes, & non in mille acroceraunia ducant. Rarus Iaſon, quem pro aureo virtutis vellere navigantem horrendi ſcelerū ad ſe non invitent dracones. Inter naufragia ſunt crimina ſecura, inter ſecuritatis tutamina, virtutes innumera pericula manent. Vix honeſtæ virtuti contingit micare, vitia dimicant, exercitus non alios ſiſtunt, niſi ſceleribus ſcelera jungunt. Excitant ignes Martiales ut fatalē perennaturæ virtuti rogum accendere poſſint. Vndiq; bellica ſtatuunt inſtrumenta, ſed in virtutū everſionem. Iam penè in vinculis virtus eſt, pluresq; ſui offenſores quàm defenſores agnoſcit; hôc ipsô diſarmata, quia à paucis amata. Deſunt Romani Cicerones, æqui honeſtiq; cultores, qui ſeditioſos Catilinas, tutores ſcelerum Cethegos, de virtutis Provincia faciant exulare. Deſunt virtuoſi Euphormiones, qui in vitia ſtylos & gladios vibrent. Sed quouſq; florida vividæ virtutis olea, fera-

libûs, deformium vitiorum opprimetur taxîs? tandẽ etiam ad Novembrales ferias, amæniùs revireſcat. Cælo Dijsq; gratiſſima virtus omnî venuſtior palmâ, licèt ſola adverſùs magna vitiorum põdera reſurgat, habet tamen undè altiùs ſublevetur. Eſt illa per ſe ſcelerum victrix, eſt fatorum domitrix; minimè tamen illi ſuffragium deeſſe poteſt, à quo ſibi ſuppetias mutuetur. Adeſt hodiè Diviniſſima Heroina omnî Amazone fortior CATHARINA, quæ Martyriô armata enſe, pro virtutibus decertat invictiſſima. Hæ laureæ quibûs ipſa coronatur, etiam in virtutum immortales adoreas cedunt. Hàc Sanctiorî Præſide roborata Fides, Sapientia in publicũ eluctata ſolem, ſolos non deſinunt agere triumphos. Ergo ſeipſam BELLONAM Cæleſtibûs redimitâ laureîs veſtris obtutibus præſentat. Imbellis Oratoris dictio ſub Tuo victrici militans ſigno, ne ſuô deſtituatur triumphô, Tuæ auxiliares gratiæ implorat ſuppetias. Sanctioris BELLONÆ claſſicũ, meliùs veſtris intonabit auribus, modò pacatiores benevolentiæ animos præbeatis.

Inter

INter virentes pacis almæ oleas bellum ſemper minimè bellum non innuo, nec ad Mavortia invito ſigna, hæc tamen quiſquis vel ipsâ revolvit mente jam quid ſit Bellona novit. Nomen à bello habet, cui facta bellica, & militaria ſerviunt inſtrumenta. Si enim Jovem ex triſulcis fulminibus, ſi Cererē ex copioſa fruge, ſi Saturnum ex gravi ſupercilio, ſi ex caduceo Divorum Nuntium cognoſcere Mercurium licet, cur Bellonam ex inſtrumentis bellicis non noſcamus. Faciunt clariorem Bellonæ cognitionem ignes bellici; acuta tela expreſſiùs in intellectu nomen ejus exarant. Ambit pectus clypeus, Galea caput premit, manum haſta implet, & undiq; plena cognitio Bellonæ. Martis æmula cum ſit, nil non Martiale ſpirat, fulminantis Jovis progenies, fulminibûs non orbatur. Sed quid mihi cùm avida ſangvinis humani Bellona? quid mihi in loco ſacro cum Viragine profana? ubi Divinior BELLONA Cæleſtibûs redimita laureîs Auguſtiniana in Eremo Caſtra ſua victricia metatur. Hæc ſacro cauſâ Fidei exigente præſidebat duello, &

præ-

præſidere huculq; ſolet, quidni Divinior adoranda BELLONA. Pergo Gradatione Oratoriâ in Alexandriam, quæ eſt natale ſolum CATHARINÆ, ubi ſimul cum clymate; heroicam dexteritatem ſortita. Alexandriam pro loco natali habet, cujus poſitionem Martis Dominium tenet. Et à Patria victricis fortitudinis compos, & à confinio Martis BELLONA. Regalî nata Familiâ, militiā tunc tractare inchoavit, quandò vitam, exercituum Domino ſtipulata. Etiam ante pugnam jam victricibûs laureîs redimita, in cunis Herculeam ſpiravit virtutē. Innatæ illi erant pugnandi vires, quamq; alij fortitudinem, niſi cum tempore acquirunt, hanc Diva BELLONA CATHARINA cum lacte ſuxit. Mutavit natura munerum vices, in fæmina poſuit, quod maximè decet virum, imò pluſquàm virilem animum CATHARINÆ conceſſit. Vix nata Diva Virago, mox heroicum nacta robur, nondū in publicam edita lucem, & jam victoriîs clara. Magnæ Infanti virentes palmæ, ac victrices laureæ heroica fuêre crepundia. Magnîs Natalibûs nata, ſed major

certa-

certamine, prætulit puerilibûs crepundjîs ſonitum tubæ. Crevit adoleſcens magîs gloriosîs pro Fide adulta triumphis, quàm annîs provecta. Quòcunq; parvula Infans vix uſitatô Heroibus páſſu incedebat, in frontem illi victrices ſeſe ſinuabant corymbi. Quidquid atteruit mox ejus veſtigium in laurum ſubitam eviruit, nec terra fuit, cui triumphalem non impreſſerit greſſum, ubivìs inſitũ palmîs nemus, & virentes laureæ ſuccreſcebant. Struxerat Maxentius adverſa religioſæ Fidei caſtra, cùm incaſta coluit delubra; eôdem thure, quô ſuos infumabat Deos, ſacræ Fidei inficiebat odorem. Egit Fulminatorem Jovem, & Divûm Baſilicas fulmine percutiebat adverſô. Horridum juſſit adorare Martem, ut mortem inferret Fidei Chriſtianæ. Aſt fruſtratus evanidô auſu, Maxentius Cæſar, qui ſeipsô majorem inveniri non cenſuit, in maximam incidit pro Fide Heroinã CATHARINAM: cujus ne in domeſticis angulis magna lateret dexteritas, ad Auguſtales Cæſaris acceſſit Ceras, ibi cum Erebi monſtris ſuum robur probatura. Inijt præcipuam

pugnam cùm Deorum maximo Iove; & protinùs invalidum cæpit haberi Maxentij bellũ, ubi ſe prodidit Sanctioris Bellonæ virtus, quæ non alia propoſuit ſibi monſtra domanda, quàm monſtroſos Deos, pertinaciam Cæſaris Superando. Certabat ſtrenuè cum maximo Cæſare non minor pro Fide Heroina, de vano cultu Deorum; brevi eos promittens profanare. Maximîs Maxentiũ torquebat verbîs, cùm ſempiternam minata eſt pænam: Severum Diva Virago pro Fide ſua indixit Maxentio bellum, quâ pro Fide certante, ipſe fulminũ miniſter Jupiter, ignem dictus jaculari Cæleſtem, combuſtus eſt ſubterraneô. Fatidicus Apollo ipſe ſuæ ruinæ Augur erat, quam ex ſignis ſacræ deſumpſit BELLONÆ. Bellipotens Mars miratus ſibi adverſari BELLONAM, qui à ſangvine quò Hecatombe ſudabat, ruborem contraxit. Omnes Dij falſi in vera ceſſerunt ſpolia CATHARINÆ. Impius bellator aſtutum quærit dolum, ut gravem Deorum ulciſcatur dolorem, vincere CATHARINAM cùm non potuit ore, ære conatur ſuperare. Labore ſummô cùm de

illa non poſſit victoriam, nummô præ-
tendit recipere. Tinnitu auri, ſonitum
tubalium ſanctioris BELLONÆ ver-
borum voluit perturbare. Medium pol-
licetur Regnũ,ut tantùm profanos per-
mittat regnare Deos: faſtigiatos ultro ap-
promittit honores, ne ſint ab illa in fa-
ſtidio. Aſt infracti animi Virgo bene
novit, quòd aurum emolliat ſæpè corda
& aciem ferri,non tamen aciem mentis.
Novit, quòd dives auri copia avari tan-
tùm Martis pabulum eſſe ſoleat, non
ſanctioris BELLONÆ, cui omnis ſalus
in theſauro ſapientiæ DEO. Regnum
honoreſq; appromiſſos improbo repro-
bavit Cæſari, non cum Maximiano ſed
cum Jove Maximo Dominium habitura.
Hic ſtupefactus Cæſar, ingentem Vir-
ginis admiratus dexteritatem, cùm ipſe
ſuperare non poteſt, contra exercitam
Divinîs ſtudjîs, exercitum ſtruere co-
natur. O quantus dolus! ipſe eam evo-
cavit ad pugnam, & plures convocavit
Philoſophos ut vinceret unam. Quinde-
nos magìs mentô quàm mente decoros
in acie ſiſtit, ut ſanctiorem BELLO-
NAM ſuis Dijs faciat militantem. O

miram Virginis audaciã! Domitor monſtrorum Hercules contra duos pugnare recuſavit, aſt ſanctiori BELLONÆ major animus ipsô Amphiteatrô fuit. Siſtit in campo bellaci imperterrita animô & corde Virgo, nullius non victrix, à nullo victa. Cum ſubtilibus Philoſophis non acie ferri ſed mentis, non verberibûs ſed verbîs certatura. Impium cenſuit Diva Virago bellicos dare ludos per vulnera. Pro galea non imbellî ratione gaudebat, vincendi artes non dubiæ pro lorica illi fuêre, certumq; in militaris prudentiæ præſidijs, quæ animum armaverant, habuit munimentũ. Gaudet illa Panopliâ Fidei, ſcutô conſtantiæ, galeâ prudentiæ, loricâ caſtitatis, & aljîs proprjîs duello ſignîs, ſed non minus victoriarum inſignibûs decoratur. In ſe ruentibus impij bellatoris militibûs, fortitèr generoſô reſtitit animô, dum jacta contra Fidem Chriſtianam fulmina, fluidô ſermone extinxit. Irriſit non luſit certamen illorum ſanctior in Toga BELLONA, quæ ſtrenuè pro Fide pugnans, veram recepit victoriam de falſo Numine. Nec virtus ſanctiori BEL-

LO-

LONÆ deeſſe potuit, nec gloria; perfidos veræ Fidei impugnatores & ſimul cum his Maxentium ſuperavit, qui adhuc ſeipſum non deſinebat urgere, ut contra CATHARINAM urgerent Philoſophi. Inſtabat, ne illi ceſſarent; has tamē, inſtantias evertit CATHARINA, ut veritatem erigeret, quæ in falſis corruerat Dijs. Stupet Maxentius, dum tam multos mutos eſſe ſpectat; miratur & ſimul acceptantibus vota CATHARINÆ minatur Philoſophis. Accenditur furore & fatalem expugnatis à CATHARINA accendit rogum, ſed CATHARINÆ triumphalē. Fervorē ſuæ iræ, niſi tyrannicîs extingvit ignibûs. Prodeunt in paratas flammas, jam Divinô æſtuantes amore Philoſophi, longè ſapientiores propter Chriſtum; diſſontem veritati cōtempſerunt ſapientiam, ex ignibus clariores evaſuri. Iam ergo CATHARINA, tot nacta Bellonarios, quot concremandos viditChriſti Aſſeclas, qui ad plantas CATHARINÆ procumbentes, quidquid exceſſerunt ut parcat, precantur; ſanctiorem BELLONAM adorantes. Signum ſuæ militiæ Crucem, à San-

ctiori recipiunt BELLONA CATHARINA, in quo quidquid tormentorum viderunt, omnia vicerunt. Inijciuntur flammis, sed illas Divini amoris extingvunt fervore; fortior erat ignis, qui intùs eorum accendebat corda, quàm qui foris urebat. Sic in primos ignes, primi CATHARINÆ debuerant irruere Bellonarij. Voluit Maxentius ut in his flammis clariùs videret CATHARINA, quid agere fas sit? sed Increati Luminis Adoratrix, hos ignes umbras esse censebat, per quas splendor gloriæ æternæ capessitur. Erubescit ad flammas Maxẽtius, quòd CATHARINA pavore non pallescit, & magis furore accẽditur, quòd in Sanctiori BELLONA dexteritas non extingvatur. Meditatur quid cum CATHARINA agendum, ut victam habeat; quam nec dolus nec dolor percellit. Tandem cessat à furore, proponit pertinacem imò tenacẽ propositi Virginẽ, affabilî emolliendâ voce; & quam minæ non terrent, blanda captivabit adulatio, sic supponit. Invitat ad se, non duci jubet CATHARINAM, venientem salutat & blandâ alloquitur voce. Quid

CA-

eſt o CATHARINA? hunc colis quem
non vides Deũ? mea Numina quæ Tuis
adſtant oculis, temerariô condemnas
auſu. Vide, quia Genere his quos conte-
mnis es cognata Dijs, ex tua Familia na-
ſci poſſent Superi ſi vellent. Adverte ſe-
rè meô dignam imperiô Tuæ venuſtatis
ſpeciem. Cui ego ſpectatore meô ap-
plaudens oculô, Junonem ſub illa latere
crederem, niſi Te Iunoni infenſam ſci-
rem. Sat decorè tuas roſea depingit Pur-
pura genas, utquid eam à proprij ſan-
gvinis intendis mutuari ceruſſa. Inge-
nium indè Tibi inſtillatum eſſe video,
ubi eſt ſuperûm auguſta ſedes. Audit
CATHARINA lætôq; verba Tyranni
confundit cachinnô. Everberat verbîs
Maxentium, fucatam adulationis con-
temnit ſpeciem, aſperiora loquitur Ty-
ranno quàm audivit. Amens es o Maxen-
ti, dum Tuorum Deorum amans, an ne-
ſcis? quòd Fides ad hæc ſe extendat, quæ
ſuîs natura non attingit medjîs: hæc pro-
fana quæ adſunt ſana, vana ſunt, cõtemptu
magìs quàm honore digna. Hæc quæ Tu
colis, funeſto ſcias latere ſub Orco, per-
petuîs umbrîs, nõ luce ſupponas frui ſem-

piternâ. Vetustatem Familiæ & venustatem meam ne æstimes, pulchrior & antiquior Deus est, quia æternus, Tuis finem impositurus delubris. Vires meas nondum probasti, & jam per adulatoria reprobasti verba: fortior Te sum o Maxenti in Spiritu DEI ambulando. Auscultat hæc Tyranus & in suo occultat corde, verbîs cûm non possit, pænîs vult vincere BELLONAM. Sub plagas destinat CATHARINAM, ut Diviniorem enervet BELLONAM. quas subit libenter alacrîq; animô suscipit, ex nervis & nervorum sonitu, clariorem sacræ Fidei edens resonantiã. Arma fuêre Diviniori BELLONÆ non plagæ per quorũ sonum, victoriæ tonũ patente excepit aure. Stetit immota tantîs impulsa plagîs, magìs ridere quàm flere visa, sangvinem stillare maluit quàm lachrymas. Siluit sub pænis & saluit, cæsa & læsa nervîs, non tamen enervata; suâ Patientiâ lictores vicit, nec ab illis victa. Decuit Diviniorem BELLONAM vincere non vinci. Vidit Maxentius, quòd nondùm CATHARINAM vicit, vidit, quòd ijsdẽ nervîs quos illi applicavit

cavit, nec vincere nec vincire potuit. Illam carcere claudit, quasi in carcere Divinior triumphô careat BELLONA. Falleris o Maxenti, etiam clausa suam dilatabit potentiam CATHARINA, & in carcere BELLONAM aget. Duodenô spatiô famem pro pæna dedit CATHARINÆ, ut ejus dexteritatis aboleret famam. Torquet illam in carcere & ipse dubiô torquetur animô, quomodô BELLONAM vincere possit CATHARINAM. Latebat profundis in visceribus terræ Diva Virago, neminem tamen illius latuit dexteritas. Fidus vitæ amicus Cæsaris Conjunx nomine Augusta, properabat ad angusta carceris, ut Spōsam Christi (in quem occultè credidit) inviseret CATHARINAM; quam cùm adire ipsa præ timore non potuit, cum Duce ducentisq; militibus reducitur ad Viraginem, ab illa nihil non augusti auditura. Quò in arctioribus Diva Virgo fuit clausa cancellis, eò se religio Fidei & latiùs fudit & longiùs. Prædicabat Augustæ nihil esse in terris tam Augustum, quàm Christum, ad quem per angustias est eundum. Animabat exanimatorum

Deorum ſervos, omnes cum Auguſta milites, ut ſtrenuū pro Fide veri ac vivi Dei abſolverent certamen, certam Cœleſtis victoriæ Coronam recepturi. Militarunt itaq; Chriſto felicî omine, omnes ſub ſigno CATHARINÆ Heroes facti; pro Fide Maxentio indixerunt bellum, Sanctiorem nacti BELLONAM. Poſtpoſuerunt murales Sui Cæſaris Coronas, prætioſiores à Rege Cœleſti habituri. Tonantem Jovem, ſanctiorî tonitruô vocis, & Auguſtales contempſerunt aquilas, ſpretâ etiam eâ, quæ fulmē geſtabat Iovis. Cùm colere noluerint Deos, Capitū & vitæ meſſore decollati gladiô, ſed illô ſibi planum fecerunt iter ad gloriam. Fractæ ſunt illorum cervices, ſed infractus animus, eôdem enſe quô cæſi ſunt, comparatæ illis victrices laureæ ac palmæ immortales. Expectavit Auguſta Uxor Cæſaris, ut auguſtiorem cum Sãctiori BELLONA reciperet victoriam, & votîs eſt potita ſuîs. Præivere ducenti milites ad coronã Auguſtæ, ſuîs greſſibûs quos in ſtadio militiæ Chriſti, ſũmô ſtudiô abſolverunt, magîs tritum Auguſtæ fecerunt iter. Arctatur adhuc

CA-

CATHARINA carcere, ſed gaudiô perfuſa, cor in Divinum dilatat amorem, Summas Triadi Infinitæ referendo grates, quòd tot in pugna ſua habuerit Heroas victores. Iam ergo diſtrictos gerunt acinaces, qvos Martyriâ ſucceſſione recepere; jam Divinioris BELLONÆ aſſeclæ, in meta perennis ſiſtunt victoriæ, ipſam expectant Auguſtam, & Sanctiori præeunt BELLONÆ. Ratus Imperator, quòd eſurie CATHARINÆ quâ illam in profundo premebat carcere, ſuam nefandã ſatiavit Orexim; fatis ceſſuram putavit, & ſic victam forè autumavit. Niteris incaſſùm o Maxenti, CATHARINA miraculoſè per cibum Cælitùs deportatum, tibi fortius adhuc indicit duellum. Divinior pro Fide DEI BELLONA eſt, ſummus rerũ Arbiter, ſtupenda illi alimenta miniſtrat, in carcere clauſa, vitam & triumphi campum non claudit. Adit tamen carcerem, & animum CATHARINÆ ad majorẽ addit victoriam; viſitat & vivam reperit. Educi jubet carceriſq; vincula ſolvi, in latiori campo, BELLONAM pugnare decet, non carcere vinci. Inquirit

jamne præmeditata es, te velle meos venerari Deos? intende ſatiùs Tibi quō-dam infenſum modò mitiorem placare Jovem. Reſpondet CATHARINA, malo imò volo probare Tonantem. Condemnat ad rotas CATHARINAM Maxentius, qui Capitis patiebatur vertiginem, inſtructis eam quatuor alligat rotis; BELLONÆ enim currus triumphalis debebatur ſed non talis. Alligat ſtrenuas manus, hîs tamen o Maxenti! licet vinctîs capeſſet triumphales laurus CATHARINA. Mancipat vinculîs pedes, qvi ſydera calcare debuerant non terrā. Alîs utiq; fertur victoria, & victrix BELLONA CATHARINA, licet pedes in vincula dedit, victrix tamen erat. Verſatilibûs ergo circumdata rotîs, ſed fruſtra; franguntur hæ rotæ, quibûs CATHARINAM frangendam eſſe voluit Maxentius. Ab his interire non potuit circulis, quæ ſtelliferis orbibus & æternitatis orbitæ reſervata. Habuit quondam in commentis veritatis culta BELLONA ſuos Bellonarios, qui ſuum acutîs telîs rumpebāt corpus. Sanctior BELLONA CATHARINA ſuos tortores

res ſuos efficit Bellonarios, propriîs læ-
ſos, & cruentatos telîs. Spectat hæc Au-
guſta Cæſar; ſuum quoq; expectat cer-
tamen. Arguit Maxentium & tanti re-
um proclamat criminis, quòd innocuã
torqueat Viraginem. Cælitùs eam de-
fenſam eſſe aſſerit, eundemq; cum CA-
THARINA ſe adorare Deum profite-
tur. Opprimit Maxentius anguſtiîs tor-
mentorum & Auguſtam. Fruſtraberis
Maxenti Auguſtam in throno vidiſti, e-
tiam in ſacro Fidei certamine, ſub ſacræ
auſpicijs BELLONÆ militantem Au-
guſtam videbis. Ubera amittit Auguſta,
Neonatam Eccleſiæ Filiam abſque illis
decebat eſſe. Veterum commenta teſtan-
tur, Amazones mamillîs carentes BEL-
LONÆ aſſeclas eſſe. Divinior BELLO-
NA CATHARINA, ne quoq; Amazo-
ne careret, Auguſtam habuit. Nondum
viciſti Maxenti, licet tot & tantis, ſub
auſpicijs ſacræ militantibus BELLO-
NÆ, vitæ mandaſti claudere diem, qui-
bus æternæ lucis ſplendor illuxit & af-
fulſit: ſolã reliquiſti CATHARINAM
ut fortiùs illam vinceres. Scito hanc A-
lexandrinamHeroinam, pugnæ diuturni-

oris compotem, etiam Macedone fortiorem esse BELLONAM. Funestò tandē jam correptus furore Maxentius, Diviniorē mandat jugulare BELLONAM, ne plures sub palmare sui convocaret trophæum. Ducitur ergo non ad mortis sed ad victoriæ locum, aligerîs immortalitatis ad Cæleste Capitoliū transferenda pennîs. Ut insculpi possent laudis notæ, subijt ferrum. Separatur à cervice Caput, sed non constantia à Virgine sacra, sed non dexteritas à BELLONA. Mirū est, sangvinem in lac transmutavit CATHARINA, sitim quæ in Cæsare exarsit, lacte non sangvine extingvendo. Non vult sacra Virgo suū sangvine rubere collum, novi testamenti sacrificium existit, ideo non cruentū. Lactè non sangvine sudat, BELLONAM Diviniorem sine cæde cruentà ad æternum transmigrare Capitolium decebat. Transmutatæ sunt cervices in ubera, ut lacte Virgineô & Fidei Altricis Religio adolesceret. Meritò triumphi pompa Diviniori BELLONÆ fuit non funeris. Bajulîs per aerem Diva Virgo est lata Angelorum cohortibûs, & in

arduo-

arduo ſituata monte. Nullus par virtuti plauſus erat in terris Triumphatrici BELLONÆ, ideo illi vocale plauſit Cælum, & in excelſo montis clauſit Mauſoleo; ut evidentiùs pateret Orbi triumphus BELLONÆ ſanctioris. Porrò Sacri Præſes duelli victricibûs, ex tot perfidis ac Maxentio reportatîs decorata laureîs, tot heroicîs quæ cõmendantur factîs; meritò eſt BELLONA. Sed non jam ſufficit in laudem CATHARINÆ hebes acies mentis, quæ ſuffecit in acie pugnax: Altiorî cothurnô non petit erigi, quam tot Martiorum operum erexit celſitudo. In vobis illam adhuc bellantem video Patres Religioſiſſimi, quotquot eſtis, tot ſacros Sanctioris BELLONÆ veneror Alumnos, Divinæ & Ejus militantes famæ. Sacrô contenti clauſtrô, terrena contemnitis, vobis cũ Cælo cognatio eſt. Vos eruditas Doctorales pennas in Acatolicorum mutatis pænas dexterrimi Athletæ. Cælum vos adhùc in terris exiſtentes ſibi vendicat, quos totos Cæleſtes facta & virtutes comprobant. Iam innumeras taceo laudes, ne veſtram lædere

videar modeſtiam. Te ſolùm Sacra Virgo & Martyr venerabundâ alloqvor dictione: BELLONA es Diviniſſima CATHARINA, ne bella infeſtent Poloniam, Tuam illis potentiam oppone. Sceptriferam Almæ Univerſitatis Cracovienſis Crucem ſub Tuis auſpicijs de omnibus adverſis facias triumphare. Omnibus Tuæ protectionis exhibeas tutamen, Cæleſtibûs redimita laureîs BELLONA, ut hactenùs

DIXI.